



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

V. Beatam dicit Virginem Noe; quia illius ortu Misericordia est exorta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Virgo. Eccl. 24. *Ego Mater pulchre dilectionis et timoris.* Moyses virgâ silicem percussit, & aquam eduxit. Virgo laxea corda peccatorum reducit ad lacrimas. Virgâ Moyses divisit mare cum insequerentur Ægyptij. De Virgine ait *Chrysolomus serm. 146.* Nonne hæc exeuntem de Ægypto populum concepit uno utero ut emergeret cœlesti in novam creaturam tanta progenies.

5. Beatam dicit Virginem Noe; quia illius ortu  
Misericordia est exorta.

*Gen. 8.* cœperunt minui aquæ diluvij mense septimo, nempe in Autumno. Virgo nata est in Autumno ut docet *Baron.* Inter cæteros fructus comprimit Noëmo apparuit vitis *Cantic. 7.* *Videamus si flores fructus parturivit.* *Alij legunt.* Si uva pusilla se aperuit. Uva pusilla, Virgo nata quæ læticiam attulit Noë. Aperuit se in actus fidei, spei, charitatis, si verum est quod statim in utero usu rationis sit dotata, atque Joannes Bapt. In quem sensum à quibusdam trahitur illud *Idiot. c. 1.* Quodcumque sapiens aut sanctum donum alicui Sanctorum tanquam datum est, Virgini non fuit negatum: sed omnia omnium Sanctorum privilegia & dona habet in se. *Damasc. tract. 1. de Nativ.* Vineam uberrimam S. Anna Mariam Virginem, Uvam sanctissimam protulit. *Petrus Damiani lib. 5. epist. 10.* Legibus cautum est ut tempore messis vel vindemiarum, nequaquam curarum litigia ventilentur, & quidquid tunc in tribunalibus definitur, omnia irrita censeantur. Ubi hæc Virgo apparet, justitia in misericordiam vertitur, & tanquam post diluvium recreari incipit. Virgo nascitur in Nazareth domo florum. *Hieron. in voc. Hebr.* Comparebit deinde in Bethleem domo panis. *Damiani serm. 1. de Niv.* Quis scit quoties refrigeras iram judicis cum justitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? Per singularitatem ô Virgo in manibus tuis sunt thesauri miserationum Dei. Tu occasionem quæris salvandi miseros, & misericordiam effunderis.

6. Beatam dicit Virginem Aaron & Gedeon; quia est  
nova Virga & novum Vellus.

Virga Aaronis prælusit Virgini, teste *S. Thoma* eò quod ipsa sit Mater Sacerdotis magni qui unâ hostiâ consummavit & pacificavit omnia æternâ redemptione inventâ. Virga illa sine frutice fronduit, floruit, simul fructificavit. Virgo S. sine semine virili simul Infantem & Virum edidit. De illa *Epiph. Virgo*